



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Inqvisitio XI. De his qui in poenitentia, vel post poenitentiam negotiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## INQUISITIO X.

*De his qui pœnitentiam professi sunt, si in foro litigare cœperint.*

## RESPONSIO.

De Pœnit.  
dist. 1. Aliud  
quidem, &  
11. q. 1. A-  
liud.  
1. Cor. 6.

Aliud quidem est debita iusta reposcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Vnde si quis pœnitens habet causam, quam negligere forte non debeat, melius expetit ecclesiasticum quam forense iudicium.

## INQUISITIO XI.

*De his qui in pœnitentia, vel post pœnitentiam negotiantur.*

## RESPONSIO.

De Pœnit.  
dist. 5. Qua-  
litas lucri.

Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit; quia est & honestus quæstus, & turpis: verumtamen pœnitenti vtilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi: quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non interuenire peccatum.

## INQUISITIO XII.

*De his qui post pœnitentiam ad militiam reuertuntur.*

## RESPONSIO.

De Pœnit.  
dist. 5. Cœ-  
trarium.  
1. Tim. 2.

Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus.* Vnde non est liber a laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.

## INQUISITIO XIII.

*De his qui post pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinas sibi coniungunt.*

## RESPONSIO.

In adolescentia constitutus, si vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret; rem videtur fecisse venialem, si præter coniugem nullam omnino aliam cognouerit. In quo tamen non regulam constituimus